

trimonio hujus adhuc minoris actum est, magna exorta est discussio inter parochum Titi et parochum alterius parœciæ ubi filia ejus habitabat, quis eorum jus haberet matrimonio adstandi. Quam discussionem Episcopus solvit in favorem parochi domicilii filia, et suam decisionem mittens, addit hanc clausulam : *specialiter deputamus*.

Quando litteræ Episcopi pervenerunt et exhibitæ sunt, parochus hic absens a civitate, alii sacerdoti curam suæ parœciæ commiserat. Hic clausulæ : specialiter deputamus minime attendens isti matrimonio assistit. Quod parochus revertenti dubia ingerit de matrimonii validitate ex eo adagio : *Delegatus non potest delegare*. Sed postea validum esse matrimonium judicat, quia verus est titulo quasi-domicilii, parochus. De quo alter parochus certior factus, nullum esse matrimonium declarat ; et tunc, quæstio sapienti prudentia Episcopi sopita, rursùm fervida agitur.

Circa quem conscientia casum, tria quæruntur :

1o.—Quis sit verus parochus coram quo matrimonium celebrari potest et debet ?

2o.—An possint pueri adhuc sub auctoritate paterna constituti, domicilium vel quasi-domicilium differens a patris domicilio vel quasi-domicilio, acquirere ?

3o.—Quid in supradicto casu putandum sit de matrimonii validitate ? Et quid in simili casu sit faciendum ?

De Historia Ecclesiastica.

Probandum Sanctum Petrum Romam venisse et ibi supremo Pontificatu usquè ad mortem suam functum esse.

De Jure Canonico.

An Ecclesia Catholica sit vera societas ?—An sit societas perfecta ?—Quæ sit in eâ forma regiminis ?